



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

Q. 23. An liceat legere Missam siccam & Gregorianas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42624**

juvet & suppleat, si quid adversi accidat, *Less.*  
in auct. v. *Missæ* cas. 7. *Gob.* t. 3. n. 819. ex *Cap.*  
*Nuper.*

§. 2. Si cui jam ordinato superveniat lepra, 187.  
licitè celebrat privatim, vel coram aliis leprosis  
publicè, quibus etiam licitè administrat Sacra-  
menta, *Tann. Gob.* n. 831.

Q. 23. An liceat legere *Missam siccam* & *Gre-* 188.  
*gorianas.* R. §. 1. *Missæ sicca* dicitur, in qua  
non fit consecratio, sed tantum fiunt aliæ soli-  
tæ ceremoniæ, v. g. apud navigantes in mari:  
Et licet aliqui cum *Pasq.* q. 234. putent talem  
*Missam* esse illicitam, saltem quia est aliquid  
insolitum, ac etiam ideo prohibeatur in Syno-  
do Colonienfi anno 1662. pag. 91., tamen alii  
probabiliter dicunt esse, per se loquendo, lici-  
tam, nam sunt orationes, lectiones & ceremo-  
niæ de se piæ ac devotioni conformes; ideoque  
etiam *Gob.* n. 71. dicit pueros vel quemcum-  
que alium non esse reprehendendū, qui sine ve-  
stibus Sacerdotalibus piè & decorè recitat, quæ  
in *Missæ* latina dicuntur à Sacerdote, exceptis  
verbis consecrationis. An autem aliquando li-  
citur sit consecrare in navi per aquas vecta, di-  
citur n. 261.

§. 2. *Missæ* Gregorianæ sunt 30. *Missæ* de 189.  
*Requiem*, quæ celebrantur sine interruptione  
dierum ab eodem Sacerdote: inde autem ha-  
bent initium, quòd S. Greg. M. rescripserit Ab-  
bati *Preioso*, ut per se vel alium illas legeret  
pro aliquo Monacho defuncto, uti refert *Gob.*  
n. 731., ubi cum aliis notat, non esse opus, ut  
legantur ab eodem, neque ut sint de *Requiem*:  
imò *Beja* p. 1. *Cas.* 23. dicit solam ultimam esse  
de *Requiem*, reliquas de aliis, quas omnes ibi  
enu-

enumerat; additque plura, quæ à celebrante facienda sunt ante & post Missas, ut censeantur Gregorianæ. Et has legere aut curare legi, est, per se loquendo, licitum, dummodo vis non ponatur in tali præcisè numero, aut in hac vel illa conditione requisita. Quamvis autem aliqui putent eas habere majorem cæteris efficaciam, tamen non apparet, unde illa esset, *Pasq.* q. 296. Denique *Aversa* q. 11. f. 18. §. primo. etiam dicit eum, qui eas legendas suscepit, non teneri continuatè legere per 30. dies: excipe tamen, nisi accepto stipendio hoc ipsum expressè appromiserit, secundum dicta n. 158. Plura de 30. Missis Gregorianis videri possunt apud *Raynaudum* in *Heter.* Tom. 15. p. 2. f. 3. puncto 4. q. 9.

190.

Q. 24. Quid dicendum sit de Sacerdote, qui circa consecrationem vel Missam est scrupulosus. &c. Sacerdos specialiter tenetur excludere scrupulos in Sacrificio, quia summè dedecent hunc Ministrum non tantum nomine sed etiam in persona Christi operantem, inhonorant hanc divinissimam actionem, pariunt apertum scandalum populo, cujus etiam devotionem maxime turbant. Ut autem hos scrupulos emendet, poterit Sacerdos sequentibus principiis se dirigere.

191.

§. 1. Si labore circa intentionem consecrandi, notet doctrinam, quam dant omnes cum *Pasq.* q. 322. *Gob.* tr. 3. n. 783. *Herinx* d. 3. n. 32. *Bosco.* d. 1. f. 7. n. 115., nempe vix possibile esse, ut Sacerdoti ratione utenti & alicujus conscientia desit intentio sufficiens, nam secundum dicta p. 1. n. 58. & 59. sufficit intentio virtualis, directa & exercita, contenta in actionibus,

bus, duit do y con ista. tur Burg hac tion §. fran brar tur Greg de in inter ipso suffi Suar §. non & qu non petat org quic exp sciss for pite pet §. mon per ver